

de

NUPTIIS,

quam.

DEO DUCE & AUSPICE,

consensu atq; auctoritate Magni-
fici Dn. Ordinarii, Dn. Senioris, & reliquo-
rum Dnn. amplissimæ Facultatis Juri-
dicæ Adfessorum,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO PREIBISIO
Phil. & J. U. D. Professore publico, Sacræ Cæsareæ
Majestatis Aulæ & Palatii Imperialis Comite,
Imperii Exempto, &c.

ad diem 22. Decembris

publicè ventilandam exhibet.

GEORGIUS ABRAHAMUS à Dyhern
Eqv. Sil.

*In inferiori Majoris Principum Collegii acroaterio,
horis antemeridianis.*

LIPSIÆ Ao: M c l o l o c xxxvi.

M C L S L S C X X X V I .
 T Y P I S R I T Z S C H I A N I S .

211 T P U N

msvp

DEO DANCE & ANSPICE

conferentia ad; auctoritate Magni
Sci. Do. Ordinaris, Do. Senioris & Reliquo-
rum Do. amplissime Facultatis
dicti Adhuc

101329

CHRISTOPHORUS PRÆFATIO

at home as Dr. ...

Didymus melanocephalus Saldern

12. 7p.1

1915

190-183712-1141

578

IN NOMINE
DOMINI ET DEI NOSTRI
JESU CHRISTI.

I.



Extrè à Philosophis sancitum est, ut quilibet de quâlibet re tractationem auspicaturus, à definitione initium sumat, *Cic. l. 1. Offic. Plato in Phæd. & Scal. in Arist. de pl. f. 250*, utpote quod illa in ipsius rei tractandæ accuratissimè inquirat indolem atque essentiam. Quam ipsam sanctionem transgredi etiam JCtis quovis tempore religio fuit: ita Imperator noster sacratissimus orditur à definitione justitiæ, *pr. Inst. de J. & J. tutelæ § 1. Inst. de tut. testamenti pr. Inst. de testam. ordin. legati § 1. Inst. de legat. aliarumve materiarum tractandarum*: ita & in Pandectis definitiones semper præmittuntur, *vid. l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. de LL, l. 1. § 2. de pact. l. 1. de usufr. l. 1. q. testam. fac. pos. & c.* ita & ab aliis Dd: & jurium interpretibus hætenus fuit observatum. Ac proinde ne & nos in vitium aliquod incurramus, boni ominis atq; ordinis ergò, argumenti nostri, i. e. nuptiarum descriptionem, ex juris fontibus haustam, sequentem in modum præmittemus.

2. Nuptiæ sunt legitima unius maris & foeminæ conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens, atque ad sobolis procreationem respiciens *arg. § 1. Inst. de pat. pot. l. 1. de rit. nupt.*

3. Vocula Nuptiarum accipitur tripliciter: 1, pro festivitate nuptialis diei, ut in Evang. de nuptiis in Canā Galilææ

A 2

lææ

lae dicitur *c. nōstrates, & c. fēmina 30. q. 5. l. 1. de pact. dotat.*
ibi, post nuptias, i.e. nuptiarum celebritatem *l. 49. pr. ibi, cum nu-*
ptum ire cōpisset sol. matrim. Cypra. de matrim. c. 1. § 2. in fin.
2 pro conjunctione corporum, cuius significationis exem-
pla suppeditat *A. Gent. de nupt. l. 2, cap. 3. & Cujac. in Par. C. b.*
3. pro conjunctione animorum, quo in sensu ab Imperatore
& Modestino definitur.

4. Dicuntur autem nuptiae à nubendo vel obnubendo;
eò quod novae sponsae solebant pudoris gratiā faciem obve-
lare & obnubere, quod Rebeccam Isaaco jam desponsatam
fecisse legimus *in Gen. cap. 24*, quo mulieres se viro esse sub-
jectas indicant *d. c. fēmina 30 q. 5*, utpote cum mulier non
ex capite, ut esset Domina, nec ex pede, ut famula, sed ex
costa facta sit, ut quasi socia mariti esset, *gl. in c. fin. sup. verb.*
costa 33 q. 5. Et hanc notationem inter alios quoque refert *Fe-*
stus, & probat *Varro 4 de ling. lat.*, Neptunus, inquit, dicitur à
nubendo, quod mare terras obnubit, ut nubes coelum, à
quo & nuptiae: obvoluta enim seu obnupta velamine lutei
coloris uxor in domum mariti ducebatur, quod antiquitas
Flameum appellavit, *Tac. lib. 15, Juven. sat. 6. Apul. Apolog. 2,*
Plin. lib. 21, Tert. l. de virg. vel. c. frem. c. nec illud 30 q. 5, Gen. 24.
v. 65, A. Gent. de nupt. l. 2, c. 3, Beust. de matrim. c. 1, Hillig. in Don.
enucl. lib. 13. c. 18.

5. Alio vocabulo nuptiae dicuntur conjugium *l. 21. C. de*
nupt. à communi iugo, quo inter se conjunguntur maritus
& uxor: item matrimonium à fine, ut quidam volunt, quia
virgines propterea nubere solent, ut matres fiant, *Aug. lib. 19.*
cont. Manich. 26. Agell. 18 noct. Att. 6.

6. Genus conjugii est conjunctio: quā ipsa vocola essen-
tia generalis matrimonii continetur, non finis, qui est pro-
crea-

creatio liberorum *l. 220. in fin. de V. S. l. 1. l. si cum dotem 22 § si maritus, ibi procreanda sobolis sol. matr. l. fin. C. de ind. vid. tol.* nam conjunctio sive societas & cohabitatio ad substantiam matrimonii necessaria est, secus concubitus aut procreatio *l. 15. l. hac conditio 10 pr. de condit. & demon.*

7. Ex quo elucescit, conjunctionem hinc requiri, non corporis sed animi; ita enim juris regulæ sonant: nuptias non concubitus *l. nupt. 30. de R. I. d. l. cui fuerit 15. de cond. & demon.* non conjunctio *Nov. 89. c. 1. § 1, non dos Nov. 18. c. 4. § 1, sed consensus d. l. 15. in fin. dd. Novv. & maritalis affectio facit l. 32 § 13. de donat. int. vir & ux. l. pen. in pr. C. de repud. l. 31. in pr. de donat.* etiam sine instrumentis *Nov. 22. c. 3.* Unde merito veterum explosa est opinio, qui eo dementiæ devenere, ut solo consensu nuptias non contrahi, nisi re ipsa subsequuto concubitu statuerint *l. 18. C. de incest. & inut. nupt.*: quippe copula carnalis matrimonium non constituit, sed constitutum consummat, quod idem est, concubitus est demum usus conjugii.

8. Dehinc quoque dicitur conjunctio legitima, item justa *d. l. hac conditio 10. pr. de condit. & demonst.* unde & nuptiæ legitima & justæ vocantur *l. cum legitima 19. de stat. hom. l. 5. § 2. & l. Imperat. 18. eod. l. eos qui 65. § 1. de rit. nupt. & uxor justa & legitima l. 4. eod.* quo ipso inferitur, non omnem maris & foeminae conjunctionem, quæ naturalis est *l. 1. § fin. de J. & J. di-* ei matrimonium aut nuptias (ut contubernium servorum *l. cum ancillis C. de incest. & inut. nupt.*) sed eam, quam cives Romani secundum præcepta legum contrahunt *pr. Inst. de nupt.*: à quâ ergo indifferenter excluduntur adulteria, for- rationes, incestus, aliâque copulationum genera, legibus divi- nis & humanis prohibita.

9. Denique conjunctio est unius maris & foeminae unius, *arg. Gen. 1. v. 27, & 2. v. 22. & seqq. Matt. 19. v. 3. & seqq. c. gaudemus*

de divortis, ubi dicitur, quod affectus conjugalis in plures
foeminas dividi non debeat: & quamprimum vir cum alia
muliere, aut mulier cum alio viro rem habuerit, tum statim
adulterii crimine sese polluit, *Paul. ad Rom. 7. v. 3.* quippe ea-
dem est ratio: vinculum matrimonii non minus alligat vi-
rum uxori, quam uxorem viro, ob relationem, quæ inter
illos est, reciprocam. Ac propterea Polygamia est execran-
da, quæ & ipsa quàm severissimè prohibetur § *affinitas 6. &*
§ *eorum 7. inst. de nupt. l. 2. C. de incest. nupt.* ita, ut polygami
fiant infames *d. l. 2. C. cod. l. eum qui duas 18. Cod. ad L. Jul. de a-*
dult. l. 2. § 3. ff. de his, qui not. inf. imò hodiè ex constitutione
Caroli V, ultimo supplicio afficiuntur, *P. H. D. art. 121.*
Et licet Patres olim à divina ordinatione divortium fece-
rint, iisdem tamen exemplis non est judicandum, sed legibus
l. nemo C. de sent. & int. omn. jud. uti nec propter ista exem-
pla discedendum ab expresso verbo Dei, ut pulcre declarat
hoc *Dn. Philip. in loc. de conjug.*: habuere & Patres suos na-
vos, quos etsi Deus toleravit, non tamen approbavit.

10. Tandem est conjunctio indissolubilis, vel, ut *Impera-*
tor loquitur, individuum vitæ consuetudinem continet. Hinc
Tertull. in Apolog. rationem apponit, cur scil. usus vini Matro-
nis Romanis fuerit denegatus, nimirum, ut individuum vi-
tæ societatem colere possent: & ita societas vitæ dicitur in *l.*
1 rer. amot. Quod autem ait individuum, ita est accipiendum,
scil. eo animo ac proposito, ut sit perpetua. Et cum hanc vitæ
individua consuetudine è diametro pugnat divortium, quod
itidem eo fiat animo, ut perpetuum sit, non si iracundiâ quâ-
dam conjuges ad tempus separentur *l. 3. de divort.*

11. Est autem divortium (à diversitate mentium, vel quia
in diversas partes eunt matrimonium disturbantes *l. 2. in*
pr. cod.

pr. eed. l. inter divortium de V. S.) legitima mariti ac uxoris separatio apud competentem Judicem cum causæ cognitione & sufficiente ejus probatione facta, *secundum Panorm. in c. ex convectione ext. de restit. spoliat. c. seculares & c. historia 33. q. 2.* Ac proinde rectissime hodiè facimus, quod divortia, quibus tùm lege Mosaicâ, *Deut. 24.* tùm jure civili *tot. rit. ff. & C. de divort.* etiam levibus ex causis matrimonia dissolvebantur, non indifferenter approbemus: magni enim momenti est, separare id, quod Deus conjunxit. Causæ autem, propter quas permittuntur hodiè divortia, sunt potissimum: I adulterium alterutrius conjugis, propter quod tam de jure divino, quàm civili & Canonico matrimonium dissolvitur, *Matth. 5. v. 32. c. precepit Dominus 32. q. 5. & c. dixit Dominus cum aliquot seq. 32. q. 1. c. significasti c. ex literis ext. de divort. l. consensu 8. C. de repud.* II Malitiosa desertio *1. Cor. 7. v. 15. Mascard. conclus. 1018.*

12. Naturaliter itentidem solvitur morte alterutrius naturali *l. 1. de divort.* mors enim omnia solvit § *deinceps in Auth. de nupt. collat. 4.* & tum demum superstiti conjugii ad secundum tertiumvè matrimonium progrediendi licentia datur, non solum jure civili *l. liberorum 11. § Pompon. 2. de his, qui not. infam. l. 1. C. de secun. nupt.* verum etiam divino *1. ad Cor. 7. v. 39, & ad Rom. c. 7, v. 2.* dummodo certioratus sit superstes de morte alterius, *auth. hodiè C. de repud. c. in presentia de Sponsal. & c. Domin. de secun. nupt.* quippe in dubio non præsumitur maritus mortuus, licet diligenti inquisitione, habita ignoretur, ubi sit, *secundum Panorm. per text. ibi d. c. in presentia n. 4.* homo enim præsumitur vivere usque ad 100 annos.

13. Alia verò ratio est de civili morte: certè illa nullo mo-

modo solvit matrimonium *Nov. 22. c. quod autem §.* quia adhuc uxor tenetur bannitum vel deportatum maritum sequi *l. 1. C. de repud.* Et hæc de definitione: tribus etiam verbis expeditam dabimus divisionem, distribuentes nuptias, licet minus propriè, in legitimas & illegitimas: illæ sunt, quæ secundum leges *c. fin. 28. q. 1. c. quantò de divort.* hæ, quæ secus contrahuntur, de quibus est *tot. t. in C. in auth. de incest. & inut. nupt.*

14. Causæ nuptiarum sunt quatuor: nempe Efficiens, Materia, Forma & Finis.

15. Causa efficiens nuptiarum remota est jus divinum, quoad institutionem *Gen. 2. v. 27.* jus naturæ, quoad conjunctionem & affectionem *pr. Inst. de I. N. G. & C.* nam & eadem inclinatione naturali reliquæ quoque animantes conjunguntur; unde venuste *Cic. l. 4. de finibus*, conjugia, ait, virorum & uxorum naturâ conjuncta sunt: jus gentium ratione consensus & usus: jus civile quoad pacta dotalitia: jus Canonicum verò quoad solennitates. Ex quo hoc consuetarium fluit, quod iniquissimè agant Pontifices Romani, dum impiis suis decretis Sacerdotes à conjugio repellunt & deterrent; quippe cum matrimonium juris naturæ ac gentium sit, æquè ad omnes homines pertinebit, cum illud ipsum sit immutabile & indeterminabile § *jus autem civile & § sed naturalia Inst. eod.*

16. Causa autem efficiens matrimonii proxima est consensus *l. nuptia 2. de rit. nupt. l. non cogitur 21. eod. l. nuptias 30 de R. J.*, adeò ut nisi omnes, quorum consensus in nuptiis requiritur, consentiant, nuptiæ consistere non possint *d. l. 2. de rit. nupt.* Parum autem refert, siue iidem per se & coràm, siue per internuncium, epistolamvè consensum suum interponant *l. in sponsal. fin. l. sufficit 4 § 1. de spons. l. mul. s. de rit. nupt.*

17. Atq; hic consensus dupliciter potest considerari, vel
ex

ex parte contrahentium, vel ex parte illorum, in quorum potestate sunt contrahentes, ut patris avi, &c. *d. l. nuptias 2. l. filiusf. miles de rit. nupt. l. nec filium 12 C. de nupt.*

18. Contrahentium consensus omnino de necessitate adesse debet *l. 2. l. 7. l. 11. l. 13. de spons.* quia nemo ad nuptias cogi debet, *d. l. 11. & d. l. 13. eod. l. 12. l. 14. C. hic, l. 2. l. 21. l. 22. h. c. sufficiat, c. sic quippe, c. Beata Maria 27. q. 2. Gen. 24. v. 57.* unde Pamphilus apud *Ter. in And. act. 1. sc. 3:* nonne oportuit praescisse me, nonne prius communicatum oportuit? *vid. Cujac. 16. observ. 33. D. Luth. in scripto, daß die Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen/ideoq; licet Parentes juraverint de his illisve nuptiis, juramenta tamen illud liberis non praedjudicat, eosq; obligat c. si verum, c. 31. q. 2. arg. l. 5. C. de LL. l. 7. § 16, de pact. Geil. 2. observ. 42. n. 3. & seq.*

19. Deinde & consensus eorum, quorum in potestate contrahentes deprehenduntur, adhibendus est *pr. Inst. hic, l. 2. de rit. nupt. l. 2. l. 12. C. h. l. 11. de stat. hom.* quippe & naturalis & civilis ratio hoc svadet *d. pr. Inst. h.:* illa svader, ut honorem, pietatem, reverentiam & obedientiam dulcissimis nostris Parentibus praestemus, *l. 2. de f. & f. l. 2. ibi, cum naturali ratione honor C. de in jus voc. atq; nuptias insciis & invitis parentibus contrahere, quid aliud est, quam esse ingratos ac parentibus immorigeros, subducentes sese eorum potestati, quos eis Deus & natura praefecit arg. d. l. veluti 2. de f. & f.?* Hæc verò cum propter jus patriæ potestatis, quæ juris civilis est *d. pr. Inst. h. § 2. Inst. de pat. pot. l. 3. l. 8. de his qui sui vel al. jur.* tum verò, quod patrifam. invito suus hæres agnasci non debet *§ 7. in fin. Inst. de adopt. l. 12. § 3. de captiv. & postl.* Et sive expressè Parentes consentiant, sive tacitè, perinde est: nam & qui sciens non contradicit *l. si ut proponis s. C. h.* aut non evi-

B

denter

denter dissentit l. 7. § 1. de spons. l. 11. § ult. l. 12. & 13. in pr. de his
qui not. infam. (qualis etiam consensus sufficit in adoptione
l. 5. l. 24. de adopt.) ob favorem matrimonii consentire intel-
ligitur.

20. Unde jure merito ad quæstionem, si filius fam. fidem
matrimonii det sub hac conditione, si pater ad sensum datu-
rus sit, an deinde, dissentiente patre, ad consummandum
matrimonium promissum cogi possit? negative responde-
mus; quandoquidem nuptiæ, quamdiu pater dissentit, inju-
stæ remanent, injusti quæ; ex his suscipiuntur liberi l. Paulus 11.
de stat. hom. non enim statim consensus conditionalis ope-
ratur matrimonium, ut not. Canonist. Covarr. p. 2. c. 3. § 1: simili
quoque ratione, quantumvis licet consensus juramento à
contrahentibus sit corroboratus, nihilominus tamen Pa-
trem non assentientem, re adhuc integrâ, matrimonium
id ipsum impedire posse statuimus per l. non dubium 5. C. de
LL. l. juris gentium 7 § & generaliter 16. de pact.

21. Acriter hic Canonistæ inter se digladiantur, an scili-
cet de jure Canonico consensus Parentum sit tantum de ho-
nestate, an verò etiam de necessitate: illam opinionem tu-
entur Harpr. in comm. ad pr. Inst. de nupt. Gail. 2. observ. 95.
n. 5. Ant. de Butr. cons. 35. Bellarm. in lib. de Sacram. matrim.
quo fac. c. sufficiat 27. q. 2. c. 13. 23. 25. ext. de spons. c. pen. ext.
de rapt. c. 6. ext. de cond. adpos.: hanc verò tuentur Cujac. ad
rubr. de spons. Franc. Duar. in prelud. ad t. sol. mat. 1. de nupt. c. 2.
Don. lib. 13. comm. c. 20. per c. aliter 1. c. nostrates 3. caus. 30. q. 5.
c. non omnis caus. 32. q. 2. c. honorantur 13. c. hoc sanctum 16. caus.
32. q. 2. c. si verum. caus. 31. q. 2. c. vidua 38. caus. 27. q. 1. Nos
tamen hoc ipsum ex dd Canonibus probari non posse ex-
istimamus, sed convenit jus Can. cum jure civili, ut scil. sint
inju-

injustæ nuptiæ, quæcunque contrahuntur absq; parentum consensu, qui contrahentes in potestate habent.

22. Et quemadmodum jam evicimus, quod liberi consensum suorum parentum in contrahendis nuptiis adsciscere debeant, ita & pupillus pupillavè, si sponsalia contrahere volunt, tutoris auctoritatem adhibere legibus jubentur *l. si pupilla 6 de spon. Hef. U. Hunnius disp. de jur. connub. th. 24.*

23. Non tamen semper Curatorum, Propinqvorum & Affinium consensu hic opus est *l. sciendum 20. de rit. nupt. l. 8. C. b.* sed in casu modo, quo filia minor 25 annis, patre orba, alicui nubere intendit, ubi matris superstitis & propinqvorum consensus desiderandus venit *l. in conjunctione 20. C. b.* aut quando furiosi vel dementis patris liberi nuptias contrahere præsumunt, ubi similiter propinqvorum voluntas, præter auctoritatem Magistratus, & Episcopi sive Parochi, item Curatoris necessaria est *in fin. pr. Inst. b. l. tam dementis 28. C. de Episc. aud. l. si furiosi 25. C. b.* nisi furor dilucida habeat intervalla; tum enim patris, si ad sanam mentem redierit, adhibendus consensus *arg. l. 12. § 2. v. perpetuo l. 39. pr. de judic. Hillig. in Donell. enucl. lib. 13. c. 20. lit. N.*

24. Et quamvis hujusmodi nuptiæ, sine consensu parentum contractæ, in jure nostro sint injustæ, ex hac tamen causâ, re non amplius integrâ, putâ si copula carnalis insequuta fuerit, rescindi non debent *Jul. Pac. lib. 2. sent. tit. 19. fac. l. 1. § ult. junct. l. seq. de lib. exhib. c. pen. ext. de rapt. Beust. de matrim. c. 47. Heig. in comm. ad St. J. de nupt. n. 27. 28. Wesenb. in w. de rit. nupt. n. 8. Hillig. in Donell. enucl. lib. 13. c. 20. sub lit. U. in not.* etenim matrimonium non solum juris civilis sed & gentium fulcris innititur; quod etiam facit, quod hæc separatio nihil sit profutura parentibus, utpote quibus jus

suum semel violatum restitui nequit, imò scandalum potius atq; occasionem studendi aliis gravioribus delictis oblatura sit.

25. Nec tamen ex hoc consensus neglectu sufficientem & justam exheredationis causam sibi decerpere possunt parentes *Nov. 115. c. 3. Gilken. ad auth. non licet C. de lib. prater. Harpr. ad pr. Inst. b. n. 87*, nisi liberi se turpibus & ignominiosis personis applicarint, filiaq; simul, si de eâ sit qvæstio, minor sit 25 annis, *Geil. 2. obser. 95. n. 17. Covarr. de spons. p. 2. c. 3. § 8. d. Nov. 115. c. 3. § 11. Ulric. Hunn. disp. de jure connub. sh. 19*. Attamen hodie in multis locis consuetudinem in contrarium abire in aprico est, *Beust. de spons. cap. 20, Arnif. de Jur. connub. cap. 3. sect. 10. n. 14.*

26. Et sic etiam consideravimus causam efficientem: sequitur materia, quæ est mas & foemina, ita tamen, ut isti duo sint in unâ carne, i. e. inseparabiliter juncti secundum præcepta legum, de quo prolixius supra egimus.

27. Cæterum nuptias contrahere possunt omnes, qui lege vel naturâ contrahere prohibiti non sunt: Lege prohibentur quidam ratione cognationis: quidam ratione affinitatis: quidam ratione publicæ honestatis.

28. Ratione cognationis sive ea sit naturalis, sive legalis § 1. *Inst. b. nuptiæ prohibentur in lineâ rectâ in infinitum l. nupt. 53. de rit. nupt. l. nemini 17. Cb.* deinde in lineâ collateralisive transversâ inter eos quoq; qui sibi invicem sunt loco parentum & liberorum, nuptiæ sunt prohibitæ, veluti inter Patrum & Neptem, inter amitam & neptem ex fratre, inter materteram & nepotem ex sorore, & sic deinceps § 3. § 5. *Inst. b. l. per adoptionem 17. § amitam 2. l. 54. l. 56. de rit. nupt.*

nupt. l. nemini 17. C. b. l. ult. C. de incest. & inut. nupt. l. ult. C. si nupt. ex rescr. pet. l. 11. § 1. ad L. Jul. de adult.

29. In cæteris gradibus de jure civili secundus & tertius prohibitionem habet *d. l. nemini 17. C. hic d. l. fin. C. de incest.* de jure Canonico quartus *e. non debet 8. de consang. & affin.* de jure verò Saxonico tertius lineæ inæqualis: nam qui in quarto vel affinitatis, vel consanguinitatis gradu constituti sunt, non prohibentur in nostris curiis conjungi *Wesenb. in π. de rit. nup. n. 4. Chur J. Chordnung Johann. Georg: Constit. Electoris August. de anno 1557. cap. 2. tit. Welchen Personen/er. § Zum andern.*

30. Atque hæc, quæ de cognatione diximus, etiam in affinitate locum habent, *in locis modò allegat.* hæc tamen regulâ observatâ: quod affinitas tantum contrahitur inter maritum & consanguineos uxoris & contra; inter consanguineos autem mariti & uxoris nulla sit affinitas, impediens matrimonium, *Schneidw. ad tit. Inst. hic rubr. de arbore aff. n. 9.*

31. Tandem ob honestatem quibusdam quasdam nuptias contrahere non quidem expressè est prohibitum, contrahere tamen illas, minus videtur esse honestum. Unde etsi ea, quæ post divortium ex alio procreata sit, privigna tua non sit: item etsi sponsa filii tui nurus tua non sit, rectius tamen & jure te facturum Icti existimant, si ab hujusmodi nuptiis de abstinueris *l. si qua 12. § si uxor mea 2 de rit. nupt. § si uxor 9. inst. hic:* in conjunctionibus enim non tantum id, quod licet, sed etiam quod honestum, spectandum est *l. non omne 14. l. semper 197. de R. J. l. adoptivus 14. § 2. l. semper 42. in pr. de rit. nupt.*

32. Quamobrem attendenda quoque est imparitas honesta-

nestatis personarum: amplissimus enim cum humili abje-
 ctâq; non debet matrimonium inire *l. humilem 7. C. de incest.
 nupt.* veluti Magistratus, Præses scil. cum Provinciali *l. si quis
 38. pr. l. qui in provincia 57. de rit. nup. tot. t. C. si quac. præd. pot.:*
 similiter nec raptor cum raptâ ob præsumptionem violentiæ
in auth. de rapt. mul. l. un. C. de rapt. virg. Nov. 143. nec Christia-
 nus cum non Christianâ & vice versâ *l. 6. C. de Juda. c. cave.*
28. q. 1. ut nec Tutor cum pupillâ *l. tutor 15. de spons. l. tutor 36.
 l. SCto 59. l. quancquam 62. l. libertum 64. § 1. de rit. nupt.* nisi red-
 ditis rationibus *d. l. quancquam 62. § tutor 2. de rit. nup. l. si patris
 6. ibi nondum redditâ, & ibi: post redditam C. de interd. matrim.:*
 quippe cessâte prohibitionis causâ, sc. suspicione fraudis, ne
 pupillæ in re familiari defraudentur *l. libert. 64. § 1. de rit. nup.
 l. non solum 67. § 1. § 3. eod.* cessat & ipsa ratio, uti hoc ipsum la-
 tius deducit Magnificus Dn. Ordinarius Sincfelshaus in observ.
 suis Practicis obser. 92.

33. Liberum autem ancillam ducere non posse, apertif-
 simi juris est, cum ipsa non habeat jus civitatis Romanæ *arg.
 pr. Inst. h. l. 3. C. de incest. & inut. nupt.* matrimonium verò ex-
 tra cives Romanos non contrahitur *l. 1. C. de repud. l. 13. § 1. de
 donat. int. vir. & ux. l. 5. de bon. damn.* ac propterea nec ad pere-
 grinos quoq; pertinet, utpote quibus nulla cum Romanis
 intercedit necessitudo *Macrobi. l. 1. Saturn. c. 6.* Verum enim-
 vero hodie nulla dignitas prohibet conjugium fieri cum li-
 bertâ *Novel 78. c. 3. & Nov. 177. cap. 4. & 6.* vel cum paupere
 ingenua *l. si donationem 22. C. h. l. humilem 7. de incest. & inut. nup.*
 licet quidem humilis mulier non rectè jungatur personæ
 illustri.

34. Naturâ prohibentur contrahere nuptias quidam ob
 defectum corporis, quidam ob defectum animi; defectu
 corporis qui laborant, sunt ii, qui ob vitium aliquod corpo-
 ris ad procreandam sobolem sunt inepti ac impotentes: &

salium conjunctio ipsum conjugii finem primum nun-
quā exequitur, ita ut illud ipsum pro nunquā contracto aut
certē confirmato, pro solvendo jure merito habeatur: ut ut
n. in contractib; non est legitima & firma obligatio, si quis se
ad id obligat, quod non potest præstare: ita quoque (ut sic di-
cam) in contractu matrimonii *l. 61. l. 62. de don. int. vir. & ux. l. 10. C. de repud. Nov. 22. c. 6.* De impuberibus idem esto judici-
um *pr. Inst. h. l. minorem 4. de rit. nup.* Ob defectum animi pro-
hibetur illi, qui nō intelligunt, quid agatur, cujus farinae ho-
mines inter alios sunt furiosi *l. orat. 16. § ult. de rit. nupt. l. patre 8. de his qui sui vel al. & profunde ebrii arg. l. 4. de spons. qui ma-
nē recordari vix possūt, eosq; facti poenitet, Beust. de Spōs. q. 11.*

35. Forma matrimonii consistit in legitimā conjunctio-
ne, quā duo fiunt una caro, sive quod idem est, in obligatio-
ne, nexu seu vinculo ex consensu legitimo nascente, de quo
supra actum & factum.

36. Finis nuptiarum potissimus est procreatio sobolis:
etenim liberorum procreandorum animo & voto parentes
pii uxores ducunt, *secundum Callistratum in l. liberorum 220. §*
fin. de V. S. unde moris olim fuisse, ut nuptiarum tabulis pro-
testatio interponeretur, quod liberorum quærendorū cau-
sā uxores ducerent, *Ulp. in fragm. tit. 3. § 2. prodidit.* Quod
ipsum quoque expressis verbis affirmat *August.* quando *serm. 3.*
dom post. Triu. uxor, inquit, non propter libidinem, sed pro-
pter filiorum procreationem accipitur. Ergo illicitē ac tur-
piter is cum legitimā uxore concumbit, qui prolis conce-
ptionem devirare allaborat, *id. Aug. l. 2. de adult. conj.* quippe
ideo Genialis lectus *Thalamus* dictus est, & carmē nuptiale,
quod viro & foeminæ, in genitali loco locatis, virgines ante
thalamū salientes occinuere, *Epithalamium*, à verbo græco
ἑλμα, quod est germino, pullulo; *Costanus de matrim. c. 2. n. 4.*

37. Ideo

37. Ideo autem liberorum procreationi fudeant Pa-
rentes, I ut genus humanum conservetur *Novel. 22. pr. &*
qvædam immortalitas l. duodecim 14. in pr. C. de legit. hered
nuptiis humano generi artificiosè introducatur d. Novel. 22.
pr. II ut Respublica amplificetur l. 1. ibi, ad implendam liberis
civitatem sol. matrim. civitates enim, juxta Stobæum, sine fa-
miliis esse nequeunt, & familia cælebis manca est, integra
autem perfecta qve uxorem habentis. III ut ipsorum fa-
miliæ conserventur, sibiq; ex prole filiorum filiarumqve
diuturnitatis memoriam in ævum relinquant d. l. liberorum
220. § fin. de V. S. IV Alter alterius auxilio sublevetur atqve
alatur arg. d. l. 14. in pr. C. de legit. her. V Ut & post alias uti-
litates, hominibus ex tali consortio resultantes, cultus divi-
nus in terris propagetur ac conservetur. Et hæc de nuptiis
proposuisse sufficiat.

Deo nostro sit Laus, Honor, & Gloria!


Z H T H' M A T A.

1. *An distinctio inter sponsalia de presenti & futuro sit ap-*
probanda? Aff.
2. *Sponsalia publica purè contracta, an mutuo partium*
dissensu dissolvi possint? Neg.
3. *An matris consensus ad matrimonium requiratur? Aff.*
4. *An nuptia possint dici contractus? Neg.*
5. *An matrimonium magis sit res spiritualis, quàm Politica?*
Affir. posterius.

F I N I S.

X2615937

Von



544
~~xxxix~~
1636, 4
JURIDICA
T I I S,
AUSPICE,
toritate Magni-
Senioris, & reliquo-
æ Facultatis Juri-
torum,
IDE
RO PREIBISIO
publico, Sacræ Cæsareæ
ii Imperialis Comite,
mpto, &c.
Decembris
dam exhibet.
AHAMUS à Dyhern
Sil.
ipum Collegiiacroaterio,
eridianis.
CLO LOC xxxvi.
SCHIANIS.